

*Leistungskurs Bayern 1991*

## **Freundschaft macht Freude**

*(Cic. de fin. 1,66-69)*

*Ein Anhänger Epikurs legt zwei Aspekte der Freundschaft dar: Freundschaft als Quelle unmittelbarer Freude für den einzelnen und Freundschaft als Wert um ihrer selbst willen.*

Ut virtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam quidam negant posse a voluptate discedere.

Nam cum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest.

Atque ut odia, invidiae, despicationes adversantur voluptatibus, sic amicitiae non modo faultrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis quam nobis; quibus non solum praesentibus fruimur, sed etiam spe erigimur consequentis ac posterius temporis.

Quod quia (1) nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi aequae amicos et nosmet ipsos diligamus, idcirco et hoc ipsum efficitur in amicitia, et amicitia cum voluptate conectitur. Nam et laetamur amicorum laetitia aequae atque nostra et pariter dolemus angoribus.

Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum quo in se ipsum, quosque labores propter suam voluptatem suscepit, eosdem suscipiet propter amici voluptatem. Quaeque de virtutibus dicta sunt, quem ad modum eae semper voluptatibus inhaerent, eadem de amicitia dicenda sunt.

Sunt autem quidam Epicurei, qui verentur, ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus et consuetudinum (2) instituendarum voluntates fieri propter voluptatem (3); cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur.

Etenim si loca, si fana, si urbes consuetudine adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius fieri poterit et iustius? (244 Wörter)

---

(1) quod quia	hier: da also
(2) consuetudines	hier: Kontakte
(3) Ergänzen Sie	putant